DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

VENTRICULI SCIRRHO

COMPLECTENS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

VENTRICULI SCIRRHO

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS WATSON,

Scoto-Britannus,

COLLEG. REG. CHIR. LOND. SOCIUS.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

SPECTATISSIMO VIRO,

JOANNI MANDERSTON, Armigero,

NUPERQUE

EDINBURGI PRÆTORI;

HOC TENTAMEN,

OB BENEFICIA MULTA ACCEPTA,

ANIMO GRATISSIMO,

SUMMAQUE OBSERVANTIA,

SACRAT

GULIELMUS WATSON.

NECNON,

VIRO REVERENDO

CAROLO FINDLATER,

RERUM SACRARUM DE *NEWLANDS* MINISTRO,

HAUD MINUS LITERARUM SCIENTIA

QUAM VIRTUTIBUS OMNIBUS

QUÆ GENUS HUMANUM ORNANT,

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM,

AMICITIÆ IN EUM COLLATÆ MEMOR,

ANIMI GRATI TESTIMONIO

DICAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

VENTRICULI SCIRRHO

COMPLECTENS.

Auctore Gulielmo Watson.

PRÆFANDA.

Ea valetudinis adversæ genera, quæ apud medicos Vetustiora sive *Chronica* vocari solent, studium jure acerrimum sibi vindicant. Quo morbi acuti debellentur, mature seduloque agere præsertim opus est: signis enim evidentibus fere denuntiati vix aut ne vix quidem peritum fallunt; pedeque celeri progredi soliti remedia præsentis-

sima desiderant. Vetusti autem morbi rationem longe aliam accipiunt: diu enim notas edunt perobscuras; eo ut inexpertus et corporis humani penetralium, quibus plures eorum insident, ignarus, facile decipiatur. Hinc factum est non paucos ex his morbis injuria fuisse prætermissos, certeve minoris æquo existimatos. Cum vero luxus moresque pravi effecisse videntur, ut haud parum nuperis annis increbruerint, medicorum est, ut opinor, summa ope eorum signa, causas, sedes atque idoneam curationem perscrutari. Quibus in animo habitis, et aliquid ad rem machaoniam pertinens conscripturus, imperatrice lege ACADEMICA, malum istud exitiabile selegi, cui nomen VENTRICULI SCIRRHUS, de quo nonnulla literis mandarem. Nullus profecto ex morbis vetustioribus inquisitu et cognitu dignior esse potest: sensim enim et per insidias radices quasi alte corpori infigere solet, arte vix divellendus, et nunquam non fatum infelici moliturus: simulque alia quædam mala minime exitiosa tantum simulat, ut non nisi acie quæsitissima adhibita, medicus clare eum dignoscere et intelligere possit. Haud equidem hoc grave argumentum novis me

ditare posse profiteor: satis esse duco ut, jam notis et comprobatis huc attinentibus prolatis, peritiores ejusdem admonerem. Duce et auspice MONRONE Tertio* usus sum; qui permulta de hac valetudine gravissima edidit. Consilium est quoque de intestino *Scirrho* implicato non penitus tacere: id quod sermonem brevem, parte grandiori argumenti absoluta, desiderabit; siquidem hoc vitium, cuicunque inhæreat sedi, leges, rationes, causas atque remedia, pene eadem, agnoscit. Antea quædam de ea voce, "SCIRRHUS" notare visum est, quam propositum aggrediar; quæ quoniam idem significat, quod vox Latina "durus," nonnulli duritiem omnigenam viscerum insolitam et vitiosam "SCIRRHUM" perperam vocarunt. Res est vero notissima, aliqua ex malis hoc nomine designatis, quamplurimum indolem, causas, medendique rationem, inter se discrepare: idque nomen unicum non recte omnia ea amplecti. Nec sane parvi interest, qualiter morbi

* Vide "MONRO on the Morbid Anatomy of the Gullet."

appellentur: hoc enim nomine decepti, plures medici mala inter se prorsus disparia eodem hallucinati retulerunt. Cujus rei exemplo sit jecinoris duritia vinolentia orta; quæ *Scirrhus* olim dicta multos fefellit. Quæ cum ita se habent, et quum longe frequentius medici hoc usi sunt nomine ad istud tuber fibratum et durum, quod in *cancrum* desinit, indicandum, nolumus aliud quodvis vitium idem accipere nomen. *Scirrhus* (modo ita ea voce, ut jam retuli, utimur) glandulas secretrices præsertim adoriri solet; scilicet, mammam, testem, glandulam *prostatam*, meatusque interiores glandibus *mucosis* refertos; id est, *pylorum*, *cardiam*, *coli* anfractus, *rectum* intestinum, *uterum*.

Proximum est, ut notas Ventriculi *Scirrho* affecti indagemus; prius, quæ *pylorum*, dein quæ *cardiam* male habent, prolatis.

Scirrhum ita definire placuit, "Tuber durum, inæquale, fibro-cartilagineum, dolens, in exulcerationem sui similem abiturum."

DE PYLORI SCIRRHI INDICIIS.

Quanquam *Scirrhus* nulli ventriculi parti parcit, maxime tamen *Pylorus* ei patescit. Progressus hujus morbi, ubicunque situs sit, in partes duas recte diducitur: notæ *Scirrhi* ipsius, id est, inflammationis hebetis suique similis, priorem continent; alteram, serius ocyus secuturam, notæ *cancri*, id est exulcerationis.

MONRO Tertius vero, aliique, *Pylori Scirrhum* triplicem progressum exhibere opinantur: cujus pars prima signis mali jam ineuntis, nec facile ab aliis discernendi, denuntietur: secunda, signis ejus demum evidentis, manuque admota percipiendi: ultima, indiciis *cancri* cognoscatur. Hunc ordinem sequi in animo est.

DE PARTIS PRIMÆ SIGNIS.—*Scirrhus*, cuicunque inhæreat sedi, ad senium vergentes et temperamento *leucophlegmatico* præditos, male habere solet. *Pylori Scirrhus* lento fere pede

invadit; jam iniens vires cibi concoctrices multum labefactat; hinc animus et corpus languescunt, vultus expallescit, artusque solvuntur. Vexant fastidium cibi, nausea, vomitus et inflatio ventriculi. Æger sæpe crudum ructat; et doloris ardorisque sensu circa præcordia torquetur. Quicquid ciborum ingeratur, idem exactis duabus circiter horis, aut sesquihora, evomi consuevit; certeve major ejus pars. Alvus, multo sæpius, pigerrima, vix et ægre descendit: aliquando sane, at perraro, citior est; at nunquam dejectiones copiosæ sunt. Dolor parti affectæ assidue inhæret, jam sumpto cibo potuve, pressoque ventriculo, exasperandus. Ne multa, notæ omnes *Dyspepsiæ* propriæ accedunt. Mensem vel diutius, morbus propositus indicia supra comprehensa præ se ferre consuevit.

De Partis secundæ Signis.—Hoc malum secundam ejus progressus partem attigisse testantur notæ ante dictæ sæviores, aliæque novæ. Nunc demum ingravescit dolor: corpus magis tabescit, eo ut vultus perquam extenuetur, plumbei quasi coloris; necnon oculi, adipe cui ni-

tuntur, resorpto, collabantur; neque, uti valetudine integra, niteant. *Pylorus* in tantum amplificatur ut contrectanti medico, admota manu, eum facile percipere liceat. Quinetiam, pondus ejus auctum persæpe efficit, ut nutu suo deorsum ferretur; eo ut ad umbilicum usque, vel aliquanto infra eum, descendat. Nosse juvat, dolorem nunquam non, manu eundem opprimente, intendi; porro, si quando *pylorus* imum petierit ventrem, eum, cibo jam accepto, paululum ascendere. Acor ventriculi nunc plectit quæsitissimus: vigilia nocturna cruciat, certeve somni perturbati parum recreant. Vomitus increscere pergit; ejecto crudo, pituitaque acerrima misto. Cor arteriæque saliunt exiliter, et citius quam sano cuivis; nempe, c^{ies} ampliusve, quaque horæ parte LX^{ma}. Alvus, uti antea, torpet, dejecto atro et fœtido: dejectiones vero duræ sint an liquidæ, nunquam non exiguæ esse notantur. Nonnulli hoc morbo vexati non nisi in latus dextrum cubare possunt. Denique, omnia nunc in pejus ruunt; ægerque indies in valetudinem pejorem labitur.

De notis Partis tertiæ.—Denuo exulce-

rationem supervenisse denuntiant tria potissimum indicia: nimirum, dolor urentissimus, mala febris *hecticæ* propria, atraque sordes pici similis sursum et deorsum ejecta. Ventriculus ulcere exasperatus tam fit irritabilis, ut cujuslibet ingesti retinendi sit impotens; proinde cibus potusque omnigena statim rejiciuntur. Maxime vero insistendum piceæ isti naturæ vomitu et per alvum excretæ. Aliquando quoque sanguis coactus, cum frustis membranæ *mucosæ* abrasæ mistus, evomitur. Infelix sudore gelido alvoque fusa extenuatur; nec vero, quod supra memini, dejectiones copiosissimæ ægrum exercent. Tandem tot tantæque ærumnæ morte finiuntur: quæ modo miserum lenta tabe maceratum gradatim absumit; alias derepente tollit.

DE SCIRRHI PYLORI EVENTU.

Morbus, quem prosequor, triplici, ni fallor, ratione, mortem hominibus adsciscere potest. Modo prius enecat quam ad exulcerationem pervenerit;

eo quod cibos concoqui, et corpus ali non sinit. Quidam febre *hectica* sævissimoque cruciatu sensim tabescentes moriuntur. Alios derepente occidit fluxus sanguinis intestinus; sanie nimirum acri arterias venasque ventriculi rosura, præter reliquas fati jam relatas causas. Denique, huc accedere licet, *carcinoma* non raro facere, ut, membranis omnibus exesis, hiatus fiat; atque exinde fœda sordes et spiritus in ventrem confluant. Quod si ita se habeat, mortem summæ miseriæ terminum imponere manifestum est.

QUÆDAM DE CARDIA, ALIISQUE CANALIS ALIMENTI PARTIBUS SCIRRHO AFFECTIS.

Cardia, haud secus atque *Pylorus*, *Scirrho* persæpe conflictatur. Hujus vitii cursus in duas potius quam in tres partes diducendus esse videtur: nec semper in *carcinoma* desinit; at prius hominem, concoctione impedienda, tollit. Quibus perspectis, hujus mali notas, prætermissa distributione antea adhibita, exponam.

Scirrhus Cardiæ, haud aliter atque *Pylori* ætate provectos habituque *leucophlegmatico* donatos præ aliis adoriri videtur. Jam iniens efficit ut cibi ægerrime vorentur, maleque concoquantur; alvus insigniter torpeat, corpusque tabeat. Dolor et sensus ardoris in *cardiam* incumbunt, et inter edendum et bibendum magnopere sæviunt. Vix æger aliquid potat; quodvis autem concretum vorare omnino nequit, præ acerbissimo cruciatu inde genito; acceptumque illico respuit. Nec potus sumptus extemplo ventriculum petit; at paulisper gulæ hæret infixus, eam intenturus: demum una pars ventriculo traditur, edito murmure; altera per nares posticas relabitur. Ardoris sensus ad *cardiam* relatus plurimum tentat; et plures *Dyspepsiæ* notæ accedunt: singultus fere continenter angit. Corpus quam celerrime maximeque marcescit. Secus tamen atque *Pylorus, Cardia* hoc morbo implicata, quanquam grandior et durior, non imposita medici manu, sentiri potest: siquidem pene immota spinæque dorsi proxima jacet. Ni infelix fame contritus prius succumbat, quam ad *carcinoma* sit ventum, hunc teterrimum exitum denuo insigniunt picea sordes

cibo mista vomitu ejecta, statimque post hunc ingestum; dolor perquam auctus, malaque febris *hecticæ* propria. Hic morbus non omnes eadem ratione jugulat; nonnulli, quod jam memini, mature obeunt, tabe absumpti, citra *cancrum;* tantumque iis robur labefactatur, ut paulo antea mortem loquendi fiant impotentes. Quibusdam *Scirrhus* a *Cardia* orsus gradatim per gulam serpit; quam eo usque angustat, ut cibo *pharyngem* vix transgredi liceat; quod tamen rarius evenit. Aliis hoc malo affectis, fibræ gulæ motrices plus æquo irritatæ (siquidem inter vorandum cibus *Cardiam* permeandi non potens gulam præter naturam distendit) *spasmo* coarctantur; unde vis glutiendi pene deletur. Notatu dignum est, instrumentum cui nomen "*Probang*" facile hoc malum indicare: quippe quod immissum ventriculum adire nequit.

QUÆDAM DE INTESTINI SCIRRHO.

Colon et *rectum* longe sæpius quam intestinum tenuius *Scirrho* laborant; huc vero operam plures conferunt causæ; præsertim, intestinum crassius

glandulis muci secretricibus abundantius, fibris motricibus fortioribus præditum, acrioribusque inclusis exasperatum. Hinc porro patescit, cur caput *coli* cæcum, ejusdem anfractus et *rectum* præ cæteris partibus, *Scirrho* subeundo opportuna sint. Quamcunque male habeat partem, quædam notarum communes recte nominantur; siquidem haud unquam desunt: veluti, corporis habitus *leucophlegmaticus*, vultus luridus, mens contristata, cibi male concocti, tabes, robur conquassatum. Pars intestini affecta dolet, maximeque premente manu: unde tuber durum quoque persentiri posse consuevit. Subinde æger spiritum occlusum parti intestini vitiosæ obniti percipit; qui non citra quæsitissimum cruciatum, graviaque molimina edita, denuo tarde per canalem transit, sibilo simul audito.

Cuinam sedi *Scirrhus* inhæreat, interdum dictu est difficile: meatus enim alimenti eo contorquetur, ut eadem regio duas pluresve ejus partes, invicem prorsus diversas (quæ etiam longo intervallo inter se distarent, modo rectus esset canalis) complectatur. Non igitur, cognita ventris parte dolente, illico patescit morbi sedes. Scire tamen

licet, partem affectam eo usque angustari, ut liquor per alvum infusus eandem transgredi fere nequeat: quo fit, ut judicandum sit, mali sedem eo magis ano distare, quo major liquoris copia introiverit.

Scirrhus intestini tardo progreditur pede: jam iniens crebram desidendi cupiditatem movet. Descendit vero exiguum, justo tenuius, nimirum stercus liquidum, cruore et muco spumante mistum. Parietes ventris demum eo tabescunt, ut facile manui impositæ pateat intestini pars vitiata, siquidem grandior et durior facta est. Arteriæ concitatæ crebrius et exilius, quam integra valetudine, saliunt. Tandem vomitus acerbior et frequentior plectit; intestinumque eo usque coarctatur, ut non nisi paululum dejiciatur stercoris; venterque insigniter doleat et turgeat. Mors serius ocyus supervenit; vel tabe pedetentim robur contritura, vel diro *carcinomate* febrem *hecticam* genituro: nec raro intestinum penitus exesum efficit ut stercus et spiritus malus in ventrem transfundantur; exindeque *tympanites* paulo ante fatum accedat. Quanquam signa jam memorata cuivis fere *coli* parti laboranti communia

sint, nosse tamen juvat, alia propria esse singularum partium.

Intestinum *rectum scirrho* vitiosum officium vesicæ haud parum impedit, urinæ difficultatem, et oris vesicæ dolorem acciturum; quæ notæ assidue angunt, maximeque inter equitandum, aut ambulandum. Æger crebro dejicere cupit; at summo edito molimine, torminibusque sævientibus, non nisi pituitam saniemve fœdissimam excernit; stercus nempe retinetur, sive perexiguum et gracile redditur. Intestinum et *sphincter* perquam contracta vix aut ne vix quidem digitum allatum introire sinunt. Ne multa, homo perit, quod, alvo penitus suppressa, cibi nec rite concoquuntur, nec alunt; aut quod *rectum*, cancro prorsus dirutum *febrem hecticam* atque *tympanitem* molitur; comitante aliquando *peritonæi* inflammatione maligna.

QUÆ CORPORIBUS INCISIS PATEANT.

Quem *Scirrhus Pylori* morte multavit, ei patefacto cadavere, quam plurima secus atque fert

natura detegi solent. *Pylorus* eo coarctatus apparet ut vix omnino patescere percipiatur. Parietes ejus multo crassiores sunt quam cuivis integro; ita tamen ut glandes *mucosæ* primæ omnium partium indurescere et tumere incipiant. Postea membrana cavernosa, cujus est tunicam intimam fibris motricibus jungere, crassior fit, firmiorque, fibrata, simul luteique coloris. Demum extima tunicarum, nempe, *peritonæo* orta æquo fieri densior et durior notatur: quod de *Scirrho* aliarum quoque meatus alimenti partium jure prædicatur. Fibræ ventriculi motrices oculos pene latent, certeve natura cartilaginea iis intertexta minime evidentes reddit. Huc accedit rugas valde amplificari, atque crassiores esse. Ventriculus ipse longe amplior est, quam valetudine integra; intestina tenuia contra æquo exiliora sunt: legi fere perpetuæ ferendum esse videtur, quæcunque canalis portio *Scirrho* obturetur, eundem citra partem affectam amplificari, ultra eandem perexiguum fieri. *Pylorus*, auctis mole et pondere, ad umbilicum usque, vel pene ad pubem descendit. Ventriculus fœdo spiritu intenditur; sordesque subnigra et picea

membranam ejus intimam obducit. Hic illic circa *Pylorum* foramina exigua sæpe conspiciuntur; tunicis omnibus scilicet *carcinomate* dissolutis. Glandulæ *lymphaticæ* ad arcum ventriculi minorem pertinentes induratæ inveniuntur. *Cardia scirrho* vitiata eadem fere cadaver introspicienti offert, quæ *Pylorus*. Gula latior et ampliata prodit; ipse ventriculus, pene inanis, coarctatur; id quod sequitur legem supra propositam.

Intestinum affectum multo fit crassius, lumine plurimum imminuto. Si *cancer* graviter idem corruperit, persæpe efficit ut pars vitiosa cum vicinis præter naturam societur: *rectum* nempe vesicæ, vel, in corpore muliebri, *vaginæ, coli* arcus ventriculo, adhærescit: unde vel urina per alvum excernitur, vel stercus vomitu ejicitur.

DE DIAGNOSI.

Scirrhus Pylori diu latet, certeve signis admodum dubiis indicatur: unde fieri potest, ut vel rei medicæ scientior dubitet hoc malum an ventriculi imbecillitas sola notas urgentes pariat;

nimirum *Scirrhus Pylori* an *Dyspepsia* adsit. Siquidem non nisi illo jam ineunte dubitare licet, quam paucissimis exponere in animo est, quousque non confirmatus Dyspepsiæ distet.

Scirrhus pylori, veluti aliarum partium, quinquagenarios aut senes, habituque malo instructos, adoritur; atque pedetentim ingravescit: contra, *Dyspepsia* idiopathica *temperamento* sanguineo præditos, adolescentesque potius male habet; atque sensim in melius inclinari consuevit. Omnia sane hujus signa a *Scirrho pylori* quoque nascuntur; qui tamen aliqua ex iis acerbiora movet. Dolor scilicet in *pylorum* assidue incumbit, opprimente quovis augendus, et cibo sumpto exacerbandus: quem vero *Dyspepsia* ciet, is dolor *spasmo* fibrarum motricium oriundus, vicissim, modo quiescit, modo repetit; ventriculoque presso mitigatur. Fastidium cibi et vomitus nunquam non *Scirrho pylori* vexatos affligunt: *Dyspeptici* vero non raro justo sunt voraciores. Quem torquet *Scirrhus pylori,* is semper, sesquihora circiter vel bihorio post cibum ingestum, evomit: cui notæ maxime insistendum conjicio. Hic porro dirissimus morbus multo pigriorem reddit alvum,

multoque magis atque celerius hominem extenuat. Ubi tandem *pylorus* eo intumuit, ut medicus, adhibita manu, eum contrectare possit, tum demum errare vix licebit.

Scirrhus intestini *Recti Hæmorrhoidem* interdum simulat. Satis est, uti opinor, notare, sedem *Scirrhi* multo sæpissime duos tresve digitos ano distare: ambitumque ejus partis universum pariter *Scirrhi* esse participem. *Hæmorrhois* vero parum antea cruciat, quam tubercula extera prodierint. Quod ad *Cardiam Scirrho* læsam, nescio ullum genus valetudinis adversæ ei tam affine, ut anceps consilii medicus jure hæreat. Uti enim de aliis ejus notis satis conspicuis sileatur, facile, instrumento in gulam demisso, patefieri potest; quippe quod ultra *cardiam* descendere nequit.

DE CAUSIS ABDITIS.

Scirrhus, quod supra memini, non omnia corpora æqualiter invadit; at præsertim ad senium vergentes, *leucophlegmaticos*, vultu pallido, ocu-

lis cæsiis, cæsarieque subfusca instructos, adoritur: quæ ideo inter causas abditas recensenda sunt. Cur *Scirrhus* glandulas, certeve partes omnes humorum secretrices, quam alias, afficere malit, parum constat. Quare autem *cardiam* et *pylorum*, præ cæteris ventriculi partibus, affectet, intellectu non est difficile. Duo scilicet ora ventriculi, perangusta, aliena quavis natura acri ingesta, plus quam reliquæ hujus visceris partes irritantur: *spasmo*, denique valde opportuna sunt, noxa excitante oblata: siquidem fibris musculosis crassioribus gaudent.

DE CAUSAS EXCITANTIBUS.

Siquidem *Scirrhus* inflammatio est sui similis, manifestum est causas ejus excitantes esse, quæcunque partem afficiendam irritare vel exasperare possint. Irritamenta igitur hunc morbum genitura, variabunt, pro partis sede, officio et natura: nec omnino excitare poterunt, nisi causæ abditæ, supra comprehensæ, adsint. Quod ad *Pylorum*, de quo potissimum agere in animo est, *Scirrho*

eum implicare possunt *Dyspepsia* prægressa, ventriculus ictu aliundeve violatus, ebrietas, maximeque *alcohole* ingesto orta; cibi concoctu difficiles; condita omnigena; salsamenta; ne multa, venena quædam sumpta, veluti, pauxillum *acidi arsenosi*, quantulum scilicet non inflammationi ardenti movendæ sit habile; præter alia acria. *Scirrhus* similes his causas habet. *Colon* et *rectum* in eundem morbum incidere consueverunt, prægressis alvo tardiori, *colica, enteritide, cholera;* aut infixa quavis aliena natura irritatrice. Ex jam dictis, satis patebit, quales causæ cæterarum partium *scirrhos* inferant.

DE SIGNORUM RATIONE.

Quum limites angusti opuscula hujusmodi continere soliti, omnia ad *Scirrhum* meatus alimenti pertinentia explicare non sinunt; de signorum ratione acturus *Scirrhi pylori* propria unica perscrutabor.

Notæ omnes *Dyspepsiæ* hoc morbo afflictos opprimunt; eo quod os ventriculi inferius præter

naturam contractum facit, ut cibus æquo diutius moretur, ideoque fermentescat: res est autem notissima, signa *Dyspepsiœ* huc fere omnia relegenda esse. Hac sola urgente, ventriculi infirmitas cibos detinet; *Scirrho pylori* torquente, ostium inde angustatum eodem spectat. Undecunque tamen cibi detineantur, fermentatio superveniat, necesse est. Nullus dubito porro, quin fibræ motrices ventriculi *Scirrho pylori* tentatis imbecillæ sint; eaque causa operam ad signa *Dyspepsiœ* gignenda collocet.

Dolor, manu premente, acuitur, quod *Scirrhus* est inflammatio sui similis. Æger, sesquihora duabusve horis post cibos, evomit; quod eo tempore actio expulsura, id est, cibum jam in *chymum* versum *duodeno* commissura, incipit: qui tamen *Pylorum*, valde coarctatum, transgredi nequit; nunc igitur contra naturæ consilium retentus irritamento fit, vomitum molituro. Alvus tardissima exercet, corpusque emacrescit, quod longe maxima pars cibi ingesti respuitur, non nisi perexigua copia deorsum ferenda. Nec est veri absimile alvum coactam partim bili parcius secretæ deberi.

Humor acerrimus, quem aliqua pars *carcinomate* corrupta profundit, nervos graviter irritat. Hinc increscit dolor, ubi huc sit ventum: idem humor resorptus et cum sanguine circumeunte mistus febrem *hecticam* movet. Quinetiam, sanies ista picea, quam demum utraque viarum excerni memoravimus, ex humore ante dicto et cruore invicem mistis constat; ille enim, vasis erodendis, efficit ut hic intus fundatur. Hisce perspectis, ratio notarum *Scirrhi* aliis sedibus infixi satis erit conspicua.

DE CURATIONE.

Præsertim curationem *Scirrhi pylori* prosequi volo; quam tria consilia perficienda dirigunt et amplectuntur. Hæc vero sunt, A. *Scirrhum* resolvere, certeve cursum ejus tardare; B. Dolorem et *Dyspepsiæ* signa consopire; C. Vires concidentes refocillare.

A. Quum *Scirrhus* est inflammatio sui generis, resolvendus erit auxiliis, qualia cæteras inflammationes devincunt: his saltem utendum,

quantum virium ratio patitur. Si dolor manu premente acuitur, hirudines cucurbitulæve cruentæ parti dolenti imponi debebunt.

Aliquando utile erit eandem ope olei *tartrate antimonii* imbuti rubefacere. Alvus medicamentis solvenda; veluti salibus mediis, oleo *ricini communis*, vel fortioribus, si opus sit: porro, liquoribus per anum infusis, ducenda. Cibo vescendum simplici, blando, satisque alituro; scilicet, lacte, oryza, ovis, jusculis, et quæ sunt hujusmodi. Nocebunt potus ardentiores, vinum meracum (nisi equidem consuetudo desiderat), et quicquid aliud cor arteriasque cieat, corpusque calefaciat. Nonnulli *hydrargyro* utendum esse opinantur; eo quod jecur durum resolvit: quibus assentiri nolo, duplicem ob causam; nimirum, quod id jecoris vitium *Scirrho* alienum est: quod insuper metallum propositum vi concitandi perinsigni, qua pollet, læsurum esse videtur. Alii *carbonate ferri*, *tartrate ferri* et *potassæ*, atque *arsenite potassæ* nixi sunt; perinde quasi eadem facultate propria huic malo occurrerent. Parum iis fidendum existimo.

B. Dolor *opio* fere soli cedere solet, quod si corporis proprietas hoc concedi non patitur, vice ejus fungetur *conium maculatum* vel *hyosciamus niger*. Quantum opii dandum sit, regent ratio doloris, consuetudo, ætas, et quæ sunt similia.

Signa *Dyspepsiæ* lenire oportet, alimenti meatu exonerando: quem in finem initio vomitus movendus erit, ingesto *sulphate zinci* vel radice *ipecacuanhæ*; dein alvus vacuefacienda. Vomitus interdum crebrior summam facessit molestiam: sedabitur fere *citrate potassæ*, inter effervescendum epoto; vel si hoc minus valeat, *opii tinctura æthere sulphurico* mista. *Cardialgia*, id est, ardoris sensus abire solet, *antacidis* sumptis, præcipue *magnesia* ejusdemve *carbonate*. *Acidum sulphuricum aromaticum*, vel pauxillum cujusvis ex oleis volatilibus, inflationem ventriculi tollet.

C. Siquidem non nisi pauxillum cibi ingesti intestinis traditur, homo quam maxime et citissime tabescit. Viribus igitur succurrendum erit, liquoribus mulcentibus et alituris, per alvum injectis: vinum quoque haud denegandum, præsertim *carcinomate* jam præsente. *Opio* denique

potissimum innitendum; quo sane nullum remedium magis vires dilapsas refocillat. Lugens tamen confiteor, artem Apollinarem, vel scientissimo curante, hunc morbum sanitate mutare non posse; cruciatum tamen inde ortum imminui, fatumque serius fieri posse.

FINIS.